



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. Forma exterior, & interior.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

§. III.

Forma trahit, vincit.

Et ecce unus de filiis Israel intravit ad scortum &c. Num. 25. 6. Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat: vincuntur specie, qui non vincuntur præliò. Origenes hom. 20. hic.

Cum sponsus miram amatæ suæ pulchritudinem descripsisset: *pulchra es amica mea, suaviss, & decora, sicut Jerusalem.* Cant. 6. 3. præter omnem repente expectationem subiungit: *terribilis ut castrorum acies ordinata.*

§. IV.

Forma exterior, & interior.

Rebecca puella decora nimis, virgò, pulcherrima. Gen. 24. 16. Bis dicitur pulchra: ut ostendatur, quòd pulchritudo exterior multum ab interiori puritate dependebat: ac proinde dicitur pulchra in exteriori facie, quoties virgo, & pura, in interiori. S. Chrysostomus t. 6. ferm. quales ducendæ uxores: quid mihi narres pulchritudinem corporis? dicas insignem ejus pudicitiam, dicas animi pulchritudinem. Sylveira in act. 7.

Ecce tu pulchra es &c. Cant. 1. 14. Duplici laude celebrat sponsæ pulchritudinem; ut non modò extrinsecus eam formosam esse ostendat; verum & intrinsecus decoram. Philo Carpath. hic. V. Beda hic intelligit geminam pulchritudinem operis, & intentionis. hic

Joseph pulchritudine animæ pulchritudinem corporis occultabat: stellæ cuidam formositate corporis; angelis autem venustate animæ, conferebat. S. Chrysost. ferm. de Joseph.

Idem vocat exteriorem pulchritudinem, ancillam; interiorem verò ejus dominam. hom. ad Eutropium, & illud ps. altitè regina.

De formoso, & pretiosè vestito, sed stupidò, dixit ad adstantes Carol. V. Imp. est pulchra statua; sed sine animâ; myrothecium sine balsamò; lyplanotheca sine reliquijs. Schönleben D. 10. Pent. Disc. 12.

§. V.

Forma adscititia, & Miscellanea.

Que non quaesivit muliebrem cultum. Esth. 2. 15. Actum de Esther est! nam puellæ reliquæ, quibuscum de occupando regis corde, pigmenta, & ornamenta petière; se principi gratias fore ornatu confisæ. Et tamen pigmentatæ sunt; delecta verò præ cæteris Esther, ipsâ gratior negligentia. Oliva l. 5. Strom. hic.

Oculos habemus ad videndum, aures ad audiendum, nares ad olfatiendum &c. Barbæ quis usus? nisi sola pulchritudo? Quare Deus barbam creavit in homine? speciem video; usum non quæro. S. Augustin. l. 6. diversis.

Quod nascitur, opus Dei est: ergo, quod fingitur, diaboli negotium est. Divino operi Sathanæ ingenia superducere, quàm scelestum est. Tertullianus l. de cultu foem.

Nè exuvias alieni capitis, forsitan immundi, forsitan nocentis, & gehennæ destinati; sancto, ac Christiano capiti suppare. Id. ib.

Projiciamus ornamenta terrena, si coelestia optamus. -- Vestite vos sericò prohibitatis, byssinò sanctitatis, purpurâ pudicitia. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. Id. ib. Vide plura in Interprete Tertulliani B. Rhenano erudita valde de habitu luxuria.

Quemadmodum cui impositum est cataplasma, & cui inuncti sunt oculi; vel ipsò aspectu præbet morbi suspensionem; ita fuci, tincturae, & colores illiti, animam intrinsecus agrotare significant. Clemens Alex. pædag. l. 3. c. 1.

TITULUS XIV.

FORTITUDO ANIMI.

§. I.

Symbola.

Flat firmamentum. Gen. 1. 6. Firmamentum est firmitas animæ in Deo, & cælis, defixæ; quæ constanter sustinet aquas superas, id est, prosperitates; & inferas adverforum. Corn. hic. Sit nobis fortitudo quasi dies quintus, per quam hujus maris magni procillas toleremus; ac pisces spirituales Deo operante effecti vitam nostrâ inter undas servemus. Alredus Abb.

Rasit, dimidiam partem barba. 2. Reg. 10. 4. Hanon est diabolus; qui subinde bene facere volentibus barbam radit, id est, fortitudinem adimit: barba enim virilitatis, & fortitudinis, est Symbolum. Corn. hic.

Inter omnes viros fortes David Banajas maxime laudatur, *qui interfecit leonem in diebus juvenis.* 2. Reg. 23. 20. Magna gloria, occidere Leonem; sed major tempore hyemis, id est, desolationum &c. Incert. Auth.

Accincti, & Succincti, dicuntur robusti, Abac. 3. 16. Prov. 31. 17. Job. 38. 3. Psal. 17. 33. Psal. 92. 1. Unde cingulum, tanquam symbolum fortitudinis, Marti sacrari consuevit, teste Homerò Iliade 13. Romanorum lex erat, ut milites semper cincti essent. Alexander ab Alex. l. 1. gen. d. c. 20. disincti malè audiebant. Et ob id Octavius Augustus, auctore Tranquillò in ejus vita, cum militem ignavum acerrimè punire vellet, disinctum per medias acies ire jubebat. Mendoza in 1. Reg. 1.